

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Christophori Hundeshagen ... Quaestionum Logicarum Pars ...**

**Hundeshagen, Johann Christoph**

**Jenae, 1670**

Quaestio V. Quaeritur, An finis Logicae internus sit Syllogismus; Externus  
Veritatis cognitio? N. [Quaestio VI]

**urn:nbn:de:bsz:31-102789**

circa contingentia & singularia ratione *finis* & *effectionis*, dum hunc vel illum syllogismum in individuo *efficit* vel *efficere docet*.

S. 6. Omnis Ars gignitur per *experientiam*. Logica non gignitur per *Experientiam*. E. Logica non est Ars. Major probatur ex *lib. 1. Met. c. 1.* Ubi inquit Aristoteles, per *experientiam* Ars efficitur. Resp. distinguendo inter *Inventionem* Artis & *Acquisitionem*. Aristoteli sermo est de arte quoad *Inventionem*, ut hic sic sensus: priusquam Ars *inveniat*, experientia præcedere debet: de Arte autem quoad *Acquisitionem* dictus locus non est intelligendus.

Quæstio. 7.

Quæritur, An *finis* Logicæ internus sit *Syllogismus*; *Externus Veritas* cognitiō? N.

S. I.

**F**inis internus *Artis* dicitur, qui ab ipsâ arte comprehenditur, & in potestate *Artificis* est, qualis est domus respectu *m. s. vinodorum*; in potestate enim *Architecti* est extruere aliquam domum; Sic *Oratio* est finis internus respectu *Rhetoris*, in potestate enim ejus situm est, an velit *Orationem* conficere nec ne? Similiter *Medicamentorum præscriptio* est finis internus respectu *Artis Medicæ*, ete-

B

nim

nim in ejus potestate itidem positum est, an velit Medicamenta præscribere, nec ne? Finis Externus est, qui quodammodo extra Artem & potestatem Artificis est constitutus, quomodo habitatio domus & conservatio suppellectilis, vel aliquid aliud hujusmodi est finis respectu Artis omnimodis; nam conservatio suppellectilis non semper in potestate Architecti est sita. Sic persuasio est finis externus respectu Rhetoris, penes Rhetorem enim non semper positum est, ut possit persuadere aliquid populo. Similiter sanitatis amissæ restitutio est finis externus respectu Artis Medicæ, penes Medicum enim non semper positum est, ut possit sanitatem semel amissam, ægrotanti restituere.

§. 2. Jam dicunt, Syllogismum facere, vel argumentari esse finem internum respectu Logicæ, quia penes Logicum semper situm est, an velit Syllogismum facere, nec ne? Veritatis cognitionem autem esse finem externum; nam non esse in potestate Logici semper, Veritatem eruere & ad eam pertinere, cum argumentandò à Veritate aberret sæpè Optimus Logicus. Hæc est communis & recepta opinio Autorum. Verum ea si accuratè perpenditur, nulla est. Nam duæ sunt partes Logicæ, Analytica scilicet & Dialectica.

§. 3. Analytica tradit modum probandi

D  
bandi aliqu  
pis. Dia  
mentandi  
num opin  
finis Diale  
ritatis. E  
rorum, hi  
ludat id, q  
solum est; i  
quærit. Q  
rum Dialect  
est, quia ex  
consentane  
rebus homi  
nibus cons  
i. Dialecti  
tis cognitio  
quam unico  
§. 4.  
rit ratione  
sciendum  
bitariam;  
ad proban  
io non est  
tum, conc  
instrumentu  
gimus pro  
is & tunc n  
quæ ratione  
inceps nota

bandi aliquid ex veris & necessariis principiis. *Dialectica* autem tradit modum argumentandi *ἐκ τῶν ἐπιπέδων* seu ex iis, quæ hominum opinionibus sunt consentanea. Jam finis *Dialectica* non poterit esse cognitio Veritatis. Etenim *Dialectica* est æquè contrariorum, hinc sequitur, quod non tantum concludat id, quod verum est; sed etiam id, quod falsum est; nam contraria simul vera esse nequeunt. Quod autem utrumque Contrariorum *Dialecticus* concludat, ejus ratio iterum est, quia ex iis, quæ hominum opinionibus sunt consentanea, argumentatur; at verò multis de rebus homines habent opiniones contrarias, ex quibus contraria inferri & confirmari possunt. E. *Dialectica* pro fine non tam habet Veritatis cognitionem, quàm Opinionem, ad quam unice tendit.

§. 4. Neque hæc sententia stare poterit ratione *Analytica*. Quod ut ostendatur, sciendum est, Syllogismum posse considerari bifariam; (1.) pro *instrumento*, quò utimur ad probandum aliquid, quâ ratione conclusio non est pars Syllogismi, sed præmissæ tantum, conclusio autem est effectus per illud instrumentum productus; (2.) sumitur Syllogismus pro *integrâ argumentatione* seu *discursu*, & tunc notat illationem unius ex alterò, quâ ratione conclusio est *pars Syllogismi*. Deinceps notatur, quando dicitur, finem Logi-

ca: esse Syllogismum, non tantum intelligitur talis ratione *formæ*, sed etiam ratione *materiæ* consideratus.

§. 5. Tertiò præsupponendum, quod qui habet præmissas cognitās in aliquā questione ad eam probandam, is etiam statim potest inferre conclusionem, & sic si præmissæ sunt in ejus potestate, conclusio quoque erit in ejus potestate. Tandem monendum, quod cognitio veritatis nihil aliud sit, quam *cognitio conclusionis*. Jam dicendum, si in potestate Logici est facere Syllogismum in materiā necessariā, etiam in ipsius potestate erit semper cognoscere veritatem, quia veritatis cognitio & conclusio in materiā necessariā sunt unum & idem, in cujus jam potestate sunt præmissæ, in ejus potestate est etiam ipsa conclusio. Ut ita, sive Syllogismus sumatur, pro *instrumento*, quā ratione conclusio pars ejus non est; sive pro *integrā argumentatione*, prout conclusio pars ejus est, hæc sententia, quæ communiter de fine *interno* & *externo* docetur, stare nequeat. Si enim priori modo sumitur Syllogismus, pro *instrumento* scilicet, absurdum est, dicere, Syllogismum esse finem *internum*, cognitionem veritatis seu conclusionem aut cognitionem conclusionis, esse finem *externum*; quia in cujus potestate sunt præmissæ, (pro quibus jam sumitur Syllogismus,) in ejus potestate est etiam conclusio.

§. 6. Sin verò posteriori modo Syllogismus pro *integrò scilicet discurſu* sumitur, iterum dici non potest, Syllogismum esse finem internum, seu talem, qui est in potestate Logici; Cognitionem veritatis autem seu conclusionis esse externum finem, seu, qui non est in potestate Logici; absurdum hoc est, quia, quando Syllogismus, prout etiam conclusionem includit, est in potestate Logici, non potest non ipsa conclusio esse in potestate ejus. Quod attinet Syllogismum *Analyticum*, quia ibi utraque præmissarum est vera, conclusio quoque seu cognitio veritatis in potestate Logici est, & sic quando Syllogismus est in potestate Logici, etiam cognitio veritatis in ejus potestate est, adeoque non potest esse finis *externus*.

§. 7. Quod attinet Syllogismum *Dialecticum*, per eum non tam pervenitur ad Veritatis cognitionem, quam *Opinionem*, atque nec ita Veritatis cognitio erit finis *externus*, præmissis quia *Dialectica* non utitur ejusmodi mediis, quorum beneficio Veritatis cognitio semper obtineri possit. Dicendum ergo, quod finis *adequatus Logicæ sit cognitio Veritatis & opinio*; Sicut enim duæ sunt partes *Logicæ*, *Analytica* scilicet & *Dialectica*; ita duo fines *partiales*, quarum unus est Veritatis cognitio, quæ *Analytica*; alter *Opinio*, quæ *Dialecticæ* respondet; Ex quibus duo-

bus finibus partialibus componitur unus totalis, nempe VERITATIS COGNITIO & OPINIO.

*Quæstio VII.*

*Queritur, Quodnam sit Objectum Logices?*

S. I.

PER Objectum in disciplinis practicis intelligitur id, in quod habitus per certa media finem suum introducere allaborat. Sic v.gr. Objectum Ethicæ homo est, quia in eum finis nempe Summum Bonum introducit. Objectum artis Sutoriæ est corium, quia in illud finis hujus artis, nempe forma artificialis calcei introducit. Jam *Eustachium à S. Paulo quæst. proæm. in Log. 2.* aliisque statuunt Objectum Logices esse *mentis operationes, quæ sunt dirigibiles ad cognitionem veri.* Verum hæc sententia tolerari non potest, cum nempe in *mentis operationes* forma Syllogistica non introducatur, etenim Syllogismum internum pro *verò* Syllogismo, qui est *effectus* hujus Artis, non agnoscimus; sed ipse saltem est *idea* aliqua veri Syllogismi, Logica enim informat hominem, ut eruditè cum aliis possit disputare, quod quia per internum Syllogismum fieri non potest, Logica etiam internum Syllogismum non attendit, & consequen-